

XII

Le Cardinal Louis de Bourbon, abbé de Saint-Corneille, accorde cent jours d'indulgence aux fidèles qui assisteront aux offices en l'église abbatiale le quatrième dimanche de Carême, le dimanche des Rameaux, le Jeudi-Saint, le Vendredi-Saint et le jour de Pâques et feront une aumône à la Confrérie du saint Suaire.

Compiègne,

17 février 1536.

Ludovicus, miseratione divina tituli sancte Sabine sacrosancte Romane ecclesie presbiter cardinalis de Borbonio, archiepiscopus Senonensis, Galliarum et Germanie primas, episcopus dux Laudunensis, par Francie, abbas commendatarius monasterii sanctorum Cornelii et Cypriani de Compendio, diocesis Suessionensis, ordinis sancti Benedicti, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Quanto frequentius¹ Christi fidelium mentes ad spiritualia opera inducimus, tanto salubrious animarum suarum saluti consulimus. Cum itaque, sicut accepimus, laudabilis quedam confratratia sancti Sudarii Domini nostri Jesu Christi a pluribus annis instituta ordinata et approbata extiterit et confirmata, divinumque ipsius confratratie servitium, ad laudem et honorem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, in ecclesia nostra abbatiali festivitatibus et diebus ad id ordinatis celebrari, consueverit; cupientes igitur ut predicta confratratia in suo statu manuteneatur, cultus divinus ferventiori devotionis zelo inibi accrescat, necnon Christi fideles ipsi eo libentius confluant, ut eorum preconiis Salvatorem nostrum eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui, pro peccatorum nostrorum labore abluenda, in ara crucis pendens, salutem nostram in medio mundi operatus est, colere et venerari non desinant, quo ex hoc ibidem celestis gratie uberiori senserint se refectos; nos igitur, Ludovicus, cardinalis de Borbonio, prefatus, supplicationibus domini Johannis le Mattre, religiosi, dicte confratratie capellani, nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati, de omnipotentis Dei miseri cordia, beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere peniten-

1. Var. ferventius D. Bertheau.

tibus et confessis, qui in singulis, videlicet dominicarum *Letare Hierusalem* et in Ramis palmarum, feriarum quinte in cena Domini et sexte in Parasceve seu Veneris Sancte et Resurrectionis ejusdem Domini nostri Jesu Christi festivitatibus et diebus divino servitio, in honorem et laudem memorati sanctissimi Sudarii Domini nostri Jesu Christi, in dicta ecclesia abbatiali celebrari solito, astiterint et de bonis, a Deo sibi collatis, pro dicte confratricie manutentione, quid elargiti fuerint, pro singulis festivitatibus et diebus predictis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis sibi penitentiis misericorditer in Domino relaxamus, presentibus perpetuo duraturis. In quorum omnium fidem presentes litteras fieri et per secretarium nostrum signari, sigillique nostri jussimus et fecimus appensione communiri.

Datum Compendii in dicta nostra abbatia, Suessionensis diocesis, die decima septima mensis februarii, anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo sexto, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri, domini Pauli, divina Providentia pape IIIⁱ, anno tertio.

D. BERTHEAU. *Histoire de Compiègne*, Biblioth. Nation., ms. lat. 13891, f° 156. — D. GILLESON. *Mémoires*, t. II, f° 587.
